

DECRETUM

Vepres inter et spinas undique ævo nostro scatentes, in urbe S. Quintini Dioecesis Suessionensis anno millesimo octingentesimo septuagesimo septimo, veluti flos pulcher ac redolens germinavit pia presbyterorum societas a SS. Corde D. N. J. C. (Suessionensis) nuncupata, cuius scopus est ut illius alumni, terrenis affectibus abdicatis, Divino Cordi in omnibus obsequantur, et tum in seipsis, tum in proximis ignem illum accendere satagant, quem Dominus noster venit mittere in terram, et nihil aliud vult nisi ut accendatur.

Ad finem autem sibi propositum facilius assequendum directioni moderatoris generalis iidem subsunt, tria consueta vota simplicia, prius ad tempus, dein in perpetuum emittunt; ac vita exemplari et peculiari studio in erudienda spiritu intelligentiae ac pietatis juventute, necnon in peragendis rite ecclesiasticis functionibus, sacrisque missionibus, aliisque ministerii operibus, quibus Parochis valido subsidio sunt, sedulam operam navant. Pia haec societas vix ac nata fuit, illico bonum odorem suum diffundere cœpit, ita ut in præsens jam in quatuor Galliae Dioecesibus radices fixerit, et octo domus numeret cum octoginta septem sociis. Hæc luculentissimis attestationibus confirmantur, tum Episcopi Suessionensis, tum aliorum ordinariorum in quorum Dioecesibus enuntiati Instituti domus exstant, qui omnes SS^m D. N. Leonem P. P. XIII instanter exorant ut illud decreto laudis condecorare dignetur, pro certo habentes apostolicis benedictionibus irrigatum, uberiores fructus fore producturum. Quibus omnibus SS. D. N. relatis in audientia habita a me Cardinali præfecto S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 16 februarii 1888, sanctitas sua, omnibus sedulo perpensis,

attentisque præfatis litteris commendatiis antistitum locorum, enunciatæ piæ societatis Presbyterorum SS. Cordis D. N. J. C. scopum seu finem, summopere laudare et commendare dignata est, prout præsentis Decreti tenore, summopere laudatur et commendatur, salva ordinariorum jurisdictione, ad formam SS. Canonum et Apostolicarum Constitutionum, dilata ad opportunius tempus tam Instituti, quam Constitutionum approbatione, circa quas interim nonnullas animadversiones communicari mandavit.

Datum Romæ, ex Secretaria memoratæ S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 25 februarii 1888.

J. Card. MAZOTTI, præfectus.

Fr. ALOYSIUS Episc. Callinic. Secret.